

scripto vivere, id vero auget reatum  
 æternæ damnationis; juxta illud Joh.  
 15. *Si nõ venissem, & locutus fuisset eis, pec-*  
*catum non haberent: nunc autem excusa-*  
*tionem non habent de peccato suo.*

CAPUT XXXVI.

EOS QUI IN CHRISTO NON VI-  
 vunt, sed cor suum mundo habent af-  
 fixum, externam modo Scripturæ li-  
 teram possidere; penitissimam autem  
 illius vim & manna absconditum  
 non gustare.

Apocal. 1. *Vincenti dabo manna ab-*  
*sconditum, & dabo illi calculum*  
*candidum, & in calculo nomen*  
*novum scriptum, quod nemo scit,*  
*nisi qui accipit.*

**H**Ac sententia docemur neminem Qui sine  
 apti ad  
 gustan-  
 dam cœ-  
 lestem  
 dulcedi-  
 nem.  
 internam dulcedinem gaudij &  
 solatij cœlestis in Verbo Dei ab-  
 sconditi degustare, qui nõ vincat car-  
 nem suam, mundumq; cum omnibus  
 suis pompis & concupiscentijs, & de-  
 niq; ipsum diabolum. Nimirum qui  
 carnem suam quotidie per feriam cõ-  
 tritionem & pœnitentiam cum omni-  
 bus desiderijs & concupiscentijs suis

N 3 cruci-